



# Disputatio philosophica inauguralis exhibens, ad modum dialogi, stateram demonstrationum pro existentia Dei

<https://hdl.handle.net/1874/345811>

52.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,  
EXHIBENS, AD MODUM DIALOGI,  
**S T A T E R A M**  
DEMONSTRATIONUM  
P R O  
**EXISTENTIA DEI;**

*Q V A M,*  
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.,  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. JOHANNIS LEUSDEN,**


Philosophiæ Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Subtilissima  
Facultatis PHILOSOPHICÆ Decreto,*  
PRO DOCTORATUS IN PHILOSOPHIA GRADU, & ARTIUM  
LIBERALIUM MAGISTERIO, omnibusque prærogativis rite

ac legitime consequendis,

*Omnium judicio, & censure subiicit.*  
**JACOBUS DOORNECROON, AMSTEL. BAT.**  
*A. D. XIII. MARTII, hora locoqne solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc xciv.

*Vitæ Morumque integritate, Fa-  
cundiæ & Comitatis decore,  
M & Eruditionis præstantia Clarissimis,  
Celeberrimis VIRIS,*

D. M. GERARDO de VRIES,  
D. M. JOANNI LUYTS,  
Philosophiae Doctoribus , ejusdemque  
Facultatis in inclyta Academia Rheno-  
Trajectina Professoribus Ordinariis ,  
vigilantissimis , facillimis , veræ sapien-  
tiæ Inquisitoribus laboriosissimis , &  
Promotoribus indefessis , studiorum  
meorum Philosophicorum Præcepto-  
ribus colendis & Consummatoribus  
honorandis ,

in publicam grati animi testificationem

*Hoc Exercitium Philosophicum Inaugurale ,*

*juxta cum me ipso ,*

*Sacrum volo ,*

JACOBUS DOORNECROON ,  
*Aud. & Rep.*

*Ex Officina Francisci HALLA , Academicis  
Typographi , Ed. Jec XCIV*

# LECTURO.



Vx omnium Historicorum facile Princeps Lipsius,  
Doctrinam Civilem exorsurus, de Operis sui  
consilio, & ejus forma praeponenda censuit, ins-  
dem ego (si licet Exemplis in parvo grandibus  
uti) in ipso hujus Disputationis vestibulo te pau-  
lulum morabor. Quod tuo subjicitur examini,  
Stateram Demonstrationum pro Existentia Dei  
esse vides. Scilicet nobis consilium est, judicium  
interponere, justane, an iusta sint Recentio-  
rum molimina, mira subtilitate amoventium istas certitudines, quibus  
excoigitandis & adornandis tota laboravit Antiquitas. Miraberis for-  
san inopinatum illud Styli genus Dialogisticum, sed Claubergium (cu-  
jus hac in re sola mihi sufficit auctoritas) adito, & mirari desines.  
cum eadem hanc materiam eadem forma ab ipso disputari videris.

Porro vere de hac nostra Disputatione dixerim Paradoxum illud,  
omnia sunt nostra, & nihil. Cum enim colloquii occasio & ordo à  
nobis sit, argumenta tamen & demonstrationum vim ex celeberrimis  
hodie Philosophis me conquisiisse, non negavero. Nec est, quod hinc  
oggerat invidus, me alterius vitulo arasse: quid enim facerem, in bi-  
alance quasi exhibitus utriusque demonstrationis pondus? Necessarium  
certe fuit, aliorum scripta consulere, & exinde veritatem deprome-  
re. Ne dicam, me, ubique potuerim, ipsa Virorum verba adhi-  
buisse, ne illis aliquid imputare viderer, quod ab ipsorum animis esset  
alienum.

Ceterum antequam absolvam, etiam illud scias velim, me non ex  
eorum numero esse, qui quidvis in utramque partem defendere non eru-  
bescunt; abit! Plene quippe de veritate sub Persona PHILAETHIS  
proposita persuasis sum, quapropter & huic machinas tuas admoveas,  
supplex rogito. **VALE.**

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS,

EXHIBENS

S T A T E R A M  
DEMONSTRATIONUM

P R O

EXISTENTIA DEI,

*Forma Dialogistica propositam,*

INTER

PHILAETHEM ET PHIOCÆNUM.

SECTIO PRIOR.

PHILAL.



Uidnam est, quod meditabundum, & profundis adeo cogitationibus occupatum PHIOCÆNUM videam? Sublimi sane speculazione detentus haeret; en manum huc illuc fert; jam tacite submurmurando labia motitat; jam admirantem cerno; næ alta mente revolvit. Propius accedam.

PHILOC. Adeone quempiam affectibus suis fræna injecisse, ut Renatam Philosophandi Methodum levi lustrans oculo, non stupeat? non gaudeat? non admiretur? O felicia secula! O nunquam satis prædicanda tempora! quibus præclarum illud Sydus affulxit, quod nos tali Methodo beavit, cui insistenti, *Duce Libertate & Comite Modestia*, ad cujuslibet sapientiæ summum fastigium pervenire facile est.

PHI-

INAUGURALIS.

PHILAL. PHILOCÆNUM salvere plurimum jubeo; Non  
audit.

PHILOC. Quid in hac intricatum? Quid obscurum? Quid  
(quæso) superfluum?

PHILAL. Plurimum equidem.

PHILOC. Cui scientiam perfectissimam (quæ est effectuum  
per causam) acquirere cordi est, hanc consulat. Sola enim ex  
cognitione Dei quaslibet res ab eo creatas explicat.

PHILAL. Quot (proh dolor!) non monstrosa dogmata hoc  
propositum genuit.

PHILOC. Qui perfectiones Divinas tabula quapiam delineat,  
& demonstratas videre desiderat, hæc exhibet.

PHILAL. Tenuiter sane.

PHILOC. Qui distinctionem Mentis à Corpore avide cupit,  
hanc legat.

PHILAL. Nondum inveni.

PHILOC. Cui Dei opera quam amplissima cogitare animus est,  
hanc adeat.

PHILAL. Nimis ampla sane cogitat, qui attributa Dei crea-  
turis tribuit.

PHILOC. Cui volupe est, omnia Naturæ Phænomena expli-  
cata videre, hanc consulat.

PHILAL. Credat Judæus Apella, non ego. Sed proprius  
accedam, nondum me audivit.

PHILOC. Imò qui probando Dei existentiam Atheis os obturare  
nititur, hanc amplectatur.

PHILAL. Egregiam certe laudem merita hæc methodus, quæ...

PHILOC. Hem! Quisquis es, qui mihi obloqueris, sine me.

PHILAL. Ego sum, PHILOCÆNE.

PHILOC. Ignosce, non videram. Perge itaque.

PHILAL. Merito suspectam dico Methodum, quæ arma illa;  
quibus viætrix Religio ad hæc usque tempora Atheismum trium-  
phavit, adeo temere rejicit.

PHILOC. Temere non rejicitur, quod sub veri specie pluri-  
mum falsi continet.

PHILAL. Falsum non est, quod omni exceptione majus, &  
per se Achilleum est.

PHILOC. Proh dolor! Nullum est hoc hominum genere in-

## 6 DISPUTATIO PHILOSOPHICA

optius, quam qui suis etiam erroribus glorianter. Præjudiciorum sordibus te (quæso) libera, mentemque sursum attolle; & characteres illos Divinitatis contemplare, per noscere facile, quam vana super Achilleas illas demonstrationes vestra sit præsumptio.

PHILAL. Quis hæc audiat sine nauseâ? Multa dicendo plane nihil dicas.

PHILOC. Age ergo, PHILALETHE, quoniam ita lubet, periculum fac, an stare possint, quæ dixerim, an exigenda sint.

PHILAL. Λογοταχεῖν, nec saltus facere est animus; arcem itaque, quam me invaserum provocas, paucis statue.

PHILOC. Inter nos ergo controvertitur, an Summi Entis existentia ex obviis quibuscumque rebus sensibilibus, mediante Canone, in Causarum subordinatione non datur progressus in infinitum, Atheo cuivis aut infideli probari possit? An vero ex humanae menti insita, & innata quadam Entis infinite perfecti Idea? Hæc quidem mea est sententia.

PHILAL. Bene habet. Pergas, & rationes, quibus impulsus veterem sententiam valere jussisti, & novam hanc amplexus es, addas.

PHILOC. Quæ est absurditas, si hæc non sit, cum conclusio demonstranda suo principio prior & certior cognoscitur.

PHILAL. Concedo.

PHILOC. Nonne etiam multo evidenter est Deum dari, quam illas res sensibiles?

PHILAL. Id est in quæstione.

PHILOC. Quid? Putasne ergo universaliter dubitanti sensibilium rerum existentiam persuaderi posse, nisi primum cognita Dei minime fallacis existentia?

PHILAL. Minime. Me enim judice, ubi te semel universaliter dubitationi tradideris, ne quidem de Dei existentia persuaderi poteris; quid ergo de rerum sensibilium? Sed quoniam rerum corporearum existentia, utpote innata veritas, à nullo cognoscendi principio dependet, quid absurdum esset illam innotescere, non cognita Dei minime fallacis existentia, non video.

PHILOC. Sed alia in hanc rem subit ratio.

PHILAL. Audiamus.

PHILOC. Indubium sane est, eam rem prius & certius cognosci,

sci, quæ vi percipiendi magis appropportionata est.

PHILAL. Subtiliter! Ergone tuo judicio infinitum finito magis appropportionatum est, quam finitum?

PHILOC. Id nolo. Sed quoniam & objectum cognoscendum, & principium cognoscens, utrumque aliquid spirituale est, & per consequens sibi invicem magis appropportionatum, hinc infero mentem prius & certius Deum cognoscere, quam ulla res sensibiles.

PHILAL. Pulcerime! In qua obsecro illa vis percipiens in homine?

PHILOC. Mens.

PHILAL. Unita Corpori.

PHILOC. Quid tum?

PHILAL. Procul dubio ille modus cognoscendi in statu unionis naturæ humanæ magis est conveniens, qui non alterius tantum hominis parti, verum toti potius personæ respondeat. Ut taceam, quod ne minima quidem in mente suboriri possit cogitatio, nisi suo modo suum tribuente corpore, aut *actiones suppositionum* non essent.

PHILOC. Peracute!

PHILAL. Imò acute adeo, ut quo acumen hoc obtundatur, solidi reperire potueris nihil.

PHILOC. Næ tu mihi vanus Haruspex! Quis, quæso, *omnes actiones suppositionum* esse largitus est unquam? De *transcendentia* concedo lubens, de *immanentibus* nego, & pernego.

PHILAL. Videatus. Mens illas operationes immanentes exercet unita cum corpore, vel non? Si posterius, tum à mente, se ad cogitationes spirituales applicante, penderet tota unio; quod ipsa absurditate absurdius. Si prius; fatendum necessario corpus suum tribuere, aut modus operandi non sequeretur modum subsistendi.

PHILOC. Sed hæc mitto, alteram daturus instantiam, quare (mea quidem sententia) non desumendum sit argumentum ex eo, quod videamus in sensibilibus esse ordinem seu successionem quandam causarum efficientium.

PHILAL. Eris mihi magnus Apollo.

PHILOC. Per istam nempe causarum successionem, non videamur alio posse devenire, quam ad imperfectionem nostri intellectus.

lectus agnoscendam; quod nempe non possimus comprehendere quomodo infinitæ tales cause sibi mutuo ab æterno ita successere, ut nulla fuerit prima. Nam certe ex eo, quod non possumus comprehendere, non sequitur aliquam primam esse debere.

PHILAT. Discrucior animi! Quoties queso (ut silentio involvam quod & ideo vobis, quibus affirmandorum & negandorum sola vestra perceptio norma stat, hæc infinita causarum successio neganda foret) quoties inquam, non diximus, nos hanc causarum successionem non negare propter infinitæ talis seriei cogitationes nobis impossiles, verum quod hanc plurimas à parte rei contradictiones involvere, dictitet sana ratio.

PHILOC. Id si ostenderis, tu Phyllida solus habebis.

PHILAL. Nonne à parte posteriori finita est? Nonne partibus constat? Nonne indies augeri potest? & quæ plura id genus, quorum ne minimam quidem umbram cum infinite consistere posse, nemo sanæ mentis negaverit.

PHILOC. Sed satis diu hisce hæsimus, paulo majora canamus.

PHILAL. Age, si quid habes.

PHILOC. Valeant ergo sensibilia, & mentis aciem in te convertito, ibi omnium, quæ in diviti mentis penu sunt, ideo cum plurimæ illæ, & eminentissima tibi suppeditabit demonstrationes, numero plurimas, & præstantia tales, ut ab ingenio humano meliores excogitari non posse ausim dicere.

PHILAL. Miranda refers! Mihi sane, mentem plus millies supra me reflectenti, ea nondum obtigit felicitas.

PHILOC. Adeone ergo quempiam impudentem esse, ut Entis infinite perfecti Ideam menti obversari negare non pudeat?

PHILAL. Quot non (cheu!) tales Epicuri de grege porci etiam hodie supersunt!

PHILOC. Sed eo ipso momento, quo verbis negant, re profissentur.

PHILAL. Ergone sibi ipsis ita penitus pugnantia loquerentur?

PHILOC. Quam maxime. De Deo quippe dubitent, imò ipsum Deum negent, quoniam rationaliter id faciunt, eo ipso se ejusdem habere ideam ostendunt.

PHILAL.

I N A U G U R A L I S.

9

PHILAL. Ergo certe vos saepius rationales non estis, qui *Formas substantiales, Spatia imaginaria, Vacuum possibile* audacter negatis, licet eorum nullam habeatis ideam.

PHILOC. Sed nos proprie non negamus *Formas substantiales*, &c. verum laxius ista voce utentes, significamus nos non intellegere, quid istis verbis exprimatis.

PHILAL. Ipse tuam causam prodis. Nihil etiam aliter volunt Athei, Ideam Dei negantes, quam se non percipere, quid istis verbis velitis. Viden quam tuum instare fuerit verba cavillari?

PHILOC. Fateor (ut dicam, quod res sit) nullis ratiociniis (quibus enim alterum docebis, quid ille secum cogitet?) quempiam convinci posse, habeatne Ideam Dei, nec ne.

PHILAL. Candorem miror.

PHILOC. Nulla certe alia inquisitione opus est, quam solius conscientiae, quae id abunde testatur.

PHILAL. Sed nihil tale mihi dictitat conscientia, respondebit Atheus. Quid tum?

PHILOC. Id si dixerit, nec mea, nec ulla ratiocinatio, quae involvat naturam Dei, huic convincendo valida videtur.

PHILAL. Quam limoso solo totum ergo vestrum *Aedificium superstruitur!* Hæcne encomiis illis respondent, quibus ad Cœlum usque tuas modo adornasti demonstrationes? Quorsum hæc abeunt? Deus novit, annon in altum tollatis, ut lapsu graviore ruant.

PHILOC. Quæ hæc est contumelia? Adeone nostra suspecta pietas?

PHILAL. O Deploranda tempora! quibus vera rerum vocabula amissimus. Quæ hodie pietatis prætextu non perpetrantur? Divinæ existentiæ (ita ut hæc, quantum in vobis, dubia fiat) manus inferre, hodie pium audit. Sed age, ne longius aberremus, concedo omnium mortaliū animis obversari. Enīs infinite perfecti Ideam. Pergamus.

PHILOC. Hoc autem si concedas, eandem hanc Ideam mortaliū animis ab ipso Deo insitam cur neges, nil dicere cause potes.

PHILAL. Plurimum equidem.

PHILOC. Vix compos animi sum, ita hæc audiundi desiderio flagro.

B

PHI-

## DISPUTATIO PHILOSOPHICA

PHILAL. Statim audies. Sed jam id agitur, ut Demonstrationum illa fertilitas in medium proferatur, quarum inventione statim ita gloriabaris, ut censueris hisce solis, seu equo durateo, Atheorum Ilium expugnari posse.

PHILOC. Adeste ergo pertinaces, & quantumvis solidis instructi armis Sceptici, vos hodie aggrediar, non antea positurus arma, quam portenta vestra convicero!

PHILAL. Hei! Audax facinus! Absentes provocas.

PHILOC. Mirus homo es. Tu ergo monstrosa pariter & absurdissima quæque, quæ ex Atheorum personâ adversus demonstrationes urgeri possent, profer.

PHILAL. O Nimia liberalitas, opacas, æternasque tenebras naturæ lumini obducens!

PHILOC. Periculum fiat. Faciam, volens nolens agnoscas, ad Philosophematum meorum ortum ipsas densissimas dubiorum tenebras dispelli.

PHILAL. Ne Triumphum ante Victoriam. Metu quippe potentis deceptoris assensus cohibitionem edocti Athel, unico FORTASSIS Clypeo, quæcunque certitudinis tela vibres, reperciunt.

PHILOC. Hæreant sane, negent, imò hyperbolicas, quantas possint, dubitandi causas cogitent, nulla tam enormis fangi poterit, quin una maneat veritas inconclusa, hisce convincendis sufficiens.

PHILAL. Utinam! sed pro Atheis digladiari non est animus, cum rectæ rationis dictamine potius vestra conferamus, visuri, quam sana, quam solida, quamque bene digesta sint.

PHILOC. Quo trahor, sequar.

PHILAL. Breviter ergo & perspicue (quantum poteris) ex concessa Entis summe perfecti in mente Ideal, ejusdem extra mentem existentiam demonstra.

PHILOC. Actum quid agam? Quod efflagitas more Geometrico præstitit, cuius hac in re nota satis est industria, & sagacitas, DESCARTES. Sed me tempus alio vocat; proxima occasione de hisce differendi major dabitur copia. Hæc interim perpende, & VALE.

PHILOC. Alii confrateruntur tuis, ita pœc sagittarii quæderunt.

## SECTIO POSTERIOR.

PHILAL.



Deone ergo aut PHILOCÆNUM stupidum, aut me malignum esse? Hanccine sua luce radiantem certitudinem videre me nolle, vel sibi ipsi in os obloquentem CARTESIUM eum non animadvertere fieri potis est? Quoties ejus dicta non evolvi? Quoties Virum cum se ipso non commisi? Quoties in easdem cogitationes non incidi? Iterum, iterum ergo mens mea perpende, an ulla hac in re pateat evasionis rima. Fundamentum certe (si quod sit) ejus Demonstrationis prærogativa illa ideae Dei est, utpote quæ sola, cum reliquæ possibilem, necessariam involvat existentiam. Sed nonne hujus omnis argumenti vis penitus enervatur, ac diluitur, cum & ipsæ etiam in idea materiæ necessariam involvi existentiam fateri cogitur? Porro nonne sibi ipsi contradicit, qui jam rotunde profertur, sibi persuasum esse, non aliam in mente nostra Ideam Dei dari, quam quæ ex intuitu nostrarum perfectionum à mente formatur, jam vero contendit Ideam Dei in mente necessario pro causa agnoscere solum Deum, quia nec mens, nec res extra mentem existentes huic ideæ formandæ sufficiunt. Hæc qui velit conciliet. Ego ad PHILOCÆNUM pergam.

PHILOC. Aut parum prospiciunt oculi, aut PHILALETUM mihi obvium habeo.

PHILAL. Imo nil te fallunt oculi.

PHILOC. Salve multum, desideratissime.

PHILAL. Et Tu.

PHILOC. Quid hic rerum agitur?

PHILAL. Eorum detegitur perversitas, qui unius hominis auctoritate se usque adeo occæcari passi sunt, ut ipsæ ne contradictiones quidem illos feriant.

PHILOC. Tamne altas alicujus animo egisse radices præjudicia credibile est? Crediderim equidem cedro dignissima Scripta nunquam vidisse Te.

PHILAL. Papæ! Oratoris quibusdam artibus veritatem eludere non est Philosophi. Crede mihi non est. Rationes desiderantur.

PHILOC. Profecto non me impune lacesces ! Ausculta jam paululum , ostendam , aut nil rationibus probari , aut ex Idea Dei ejus existentiam.

PHILAL. Gratum feceris.

PHILOC. Consideremus itaque hanc Ideam vel *in se* , vel *ratione causa* , utrumque invicte , quod petis , evincet.

PHILAL. Audiamus.

PHILOC. Luce meridiana certe clarius est , inter infinitas in Idea repräsentatas perfectiones non è minimis esse necessariam existentiam.

PHILAL. Quid tum postea ?

PHILOC. Quod ens ergo necessario existit , illud existit.

PHILAL. Eriam hoc verum est . Sed nondum probatum audio , Deum existere necessario ; quidem si existat , existere necessario.

PHILOC. Verissimum sane est , *absque quo res concipi nequit , id revera in re inveniri* .

PHILAL. Imo id est falsissimum , nisi conceptus noster rei extra mentem existenti per omnia conformis supponatur.

PHILOC. Hujus negationis fundamentum detur.

PHILAL. Millenis equidem instantiis vestræ propositionis manifestam docere possem fallaciam , sed impræsentiarum unico ex antiquis Philosophis Mundum Æternum cogitantibus allato exemplo contentus esto .

PHILOC. Quid inde ?

PHILAL. Nemo negaverit in idea Mundi Æterni necessariam involvi existentiam , ergone hinc legitime inferrem , mundum Æternum existere ?

PHILOC. Sed hic est dispar ratio.

PHILAL. Ostende.

PHILOC. Quis Mundum non potest concipere sine Æternitate , & per consequens sine necessaria existentia ? Sed concipiatur quipiam Ens summe perfectum sine necessaria existentia , non poterit.

PHILAL. Speciosa prima fronte hæc videri posset exceptio , sed nulla est.

PHILOC. Nulla ? pudeat sane !

PHILAL. Imo nulla. Etenim sicuti Mundus sine Æternitate , & per

& per consequens sine necessaria existentia concipi potest, quidni & mihi Ens perfectum sine infinitate, & per consequens sine necessaria existentia concipi poterit?

PHILOC. Sed tum Ens infinite perfectum non concipis.

PHILAL. Id scio. Sed tum tu quoque Mundum Æternum non concipis, qui meæ instantiæ fundamentum est.

PHILOC. Quid velis, ingenue fateor, nondum intelligo.

PHILAL. Ergo iterum dicam. Indubium est, sicuti mens inter perfectiones in Idea Entis summe perfecti etiam necessariam existentiam invenit, ita & eandem in conceptu Mundi Æterni etiam necessitatem existendi involvi legitime inferre.

PHILOC. Pergas.

PHILAL. Quemadmodum itaque Tu, quia absque necessaria existentia Ens infinite perfectum non potest concipi, concludis ens illud, menti repræsentatum, ante mentis operam existere necessario; ita & mihi, quia absque necessaria existentia Mundus Æternus non potest concipi, licet inferre, Mundum Æternum mente conceptum à parte rei existere necessario. Quid enim vestræ sequelæ fundamentum est? Absque quo res concipi nequit, illud revera in re inveniri, sed nonne & idem meæ est?

PHILOC. Facilis ad hæc est responsio. In vestra quippe instantia supponis, quod est falsissimum; nempe Mundum à parte sui Æternum esse, prout concipis.

PHILAL. Haud dubito, bone Vit, quin jam intelligas, quid velim. Nimirum sicuti mea sequela non procedit, quia supponit, quod est falsissimum; ita & tua claudicat, quia supponit, quod erat probandum.

PHILOC. Quam verè sapientiæ Restaurator prævidit, plurimos hanc suam Demonstrationem pro sophisme habituros, nempe de industria, inquit, Demonstrationis robur declinabunt.

PHILAL. Ultimum confugium! Aliquid saltem dicis, ne videaris nihil dicere. Laudo ingenium.

PHILOC. Næ tu has rationes tecum supputas; nam & huic malo remedium adhibuit CARTESIUS, cum Demonstrationem suam, ut ingeniorum diversitatì inserviret, hunc in modum exhibet.

PHILAL. An solidius? Videamus.

PHILOC. Supponam itaque Deo, quemadmodum reliquis omnibus aliis rebus, quarum distinctiæ in nobis idea est, possibilem saltem competere existentiam.

PHILAL. Illud (ut jam dixi) negabit Atheus. Sed perge.

PHILOC. Porro unumquodque tendere ad perfectionem sui.

PHILAL. Quid tandem?

PHILOC. Deinde, quia cogitare non possumus Dei existentiam possibilem, quin simul ad immensam ejus potentiam attinentes agnoscamus illud propria sua vi posse existere.

PHILAL. Sed quid haec verba? Propria sua vi posse existere.

PHILOC. Primum absolvam. Hinc infert, ipsum revera existere, quia lumine naturali notissimum, quod propria sua vi potest existere, semper existere.

PHILAL. Huic Demonstrationi larynam detrahit explicatio ambiguitatis vocabulorum propria sua vi posse existere.

PHILOC. Ostende,

PHILAL. Vel enim haec verba notant Divinam in continuanda sua existentia sufficientiam, vel facultatem se ipsum producendi. Posterioris ipsa falsitate falsius; prius nihil infert, quippe quod non presupponit.

PHILOC. Quousque tandem Te partium studium abducet?

PHILAL. Bona verba quæso.

PHILOC. Non Recentiorum tantum, sed & Antiquorum opiniones contemni.

PHILAL. Libere philosophor, nullius addictus jurare in verba Magistri.

PHILOC. En hominem Eclecticum! Quasi non notimus nos inter nos! Probe memor sum pro Antiquorum opinionibus nuperime adeo militasse te,

PHILAL. Candide quæso. Mentales reservationes odi, addas itaque temere rejectis.

PHILOC. Nodum ne in scirpo querito. Quod proposui argumentum non CARTESII esse, sed plurimis iam ante aliquot secula inter Scolasticos innotuisse, æque ac ego nosti.

PHILAL. Hei! Parturient montes! Quid inde?

PHILOC. Hæcne itaque adeo temere rejicisti Te?

PHILAL. O Lepidum caput! Itane me tæco jugulare gladio? Callide certe! Verum si quicquam præter CARTESIUM sapias, quam frigida sit vestra hæc captio, non te lateret. Hi quippe primo, & omni certitudine majori principio statuebant, DEUS EST, & inde non ex nostro de Deo conceptu, sicuti ipse CARTESIUS,

fed ex ipsius natura & perfectione, quæ necessariam includit existentiam, secundarij argumentabantur.

PHILOC. Eadem certe CARTESIUS via progressus est, cum, primò ex Idea Dei à posteriori (ut loquuntur in Scholis) ejus probata existentia & veracitate, infert Deum existere, quia clare & distincte percipit Deum necessario existere, aut non posse non existere.

PHILAL. Quo hæc abeunt? Jam aperte profiteris Demonstrationem illam apud omnes, qui hodie sapientes videri volunt, fere receptam; quia nimirum veracitate divina, Atheo, cui hæc dubia est, convincendo invalidam. O tempora!

PHILOC. Sed.

PHILAL. Quid illud sed jam? Cordate quæso, non solus, nec primus es, qui hac in re à Pythagoræ vestri sententia secedis. Nuperrime mihi ad manus venit Disquisitio Metaphysica, quā quæritur, an ex Idea Dei à priori recte inferatur Dei existentia? in Transmarina Academia publico ventilata.

PHILOC. Vereor, ne quid ex Angulo illo nobis apportes mali.

PHILAL. Ejus Auctori jam aliquo tempore hoc Argumentum suspectum fuerat, occasione illi data per rationes, quas in contrarium allegabat Cl. Præses & Praeceptor.

PHILOC. Ipse Præses? Est dolendum.

PHILAL. Postquam deposito omni præjudicio rationes utrimque adductas examinavit, atque inter se accurate, quoad ejus fieri potuit, contulit, ingenue fateri haud veretur, tandem sibi vilas prævalere illas, quæ negativam concludunt.

PHILOC. Inaudita refers.

PHILAL. Putat enim, neminem, qui, postquam emerit ex Metaphysica illa Universali de omnibus Dubitatione, reperit sui, qua cogitantis, existentiam, quique eo pervenit, ut excutiens mentis luce iurinia, inter varias alias etiam invenit Ideam Dei, h. e. Entis perfectissimi, adeoque necessario existentis, exinde tuto concludere posse illius Entis extra se actualēm existentiam. Absit, quod hinc Prudentiores ominantur!

PHI-

## DISPUTATIO PHILOSOPHICA

PHILOC. An ergo nexus inter perfectionem summam & existentiam necessariam negat?

PHILAL. Non quoad cogitationem; sed difficultas in eo est, inquit, an haec consequentia debeat, aut possit extendi ultra nexus in cogitatione, i. e. ad actualem illius rei extra mentem existentiam.

PHILOC. Sed quod clare & distincte percipio, in idea alicuius rei contineri, id de ea vere affirmare possum.

PHILAL. Excipit, iste Canon dependet a cognita veracitate Divina, atque ita quod est in questione, supponitur.

PHILOC. Faciunt nam intelligendo, ut nihil intelligent!

PHILAL. Sed hunc Virum sibi relinquo, unicā illi exhibita hac quæstione: *Quo fundamento, dnm Metaphysica Universali de Omnibus Dubitationi indulget, certus fit de sui, qua cogitantis, existentia, de idea Dei, & de Dei, tanquam idea hujus cause, existentia?*

PHILOC. Quid haec ad præsens negotium?

PHILAL. Plurimum sane. Hinc enim palam fiet, quantum Atheismi causam juvent istiusmodi Philosophemata.

PHILOC. Non sane adeo difficilis est quæstio.

PHILAL. Responsum in æternum non dabit.

PHILOC. Dicet, quia nexus adeo necessarius est, ut non possit non assentiri.

PHILAL. Sed tum incidit in foveam, quam fecit. Nam quoniam non est persuasus de Veracitate Dei, adhuc nescit, an quædam consequentia possit extendi ultra nexus in cogitatione. Infelix sane, qui ejusmodi cogitationibus pascitur! Dubiam dat Dei existentiam; se probationis operi accingit, levis in eo reperitur. *A priori* nihil inferri aperte profitetur; *a posteriori* ne suo quidem se liberat laqueo. Sed satis diu aberravimus. Ad rem PHILOCÆNE.

PHILOC. Filum Disputationis. (nisi me animus fallit) nos perduxit ad considerationem Ideæ, tanquam effecti, indeque DEI, ejus causæ, adstruenda restat existentia.

PHILAL. Pergas. Mihi certe, cui causa Dei cordi est, nihil gratius erit, quam hac in re rationibus superari.

PHILOC. Procul dubio, notionibus primis, quibus nihil evidenterius, aut verius esse potest, nobiscum assensum præbes.

PHILAL. Ita est.

PHI-

PHILOC. Concedis itaque inter communes veritates non e minimis esse vulgare illud, nihil esse in effectu, quod non vel simili, vel eminentiori modo praextiterit in causa.

PHILAL. Quam maxime.

PHILOC. Ha! captus es! Nam, cum in concessa Dei Idea involvatur perfectionum immensitas, aliqua hujus Ideæ requiritur causa.

PHILAL. Id verissimum est.

PHILOC. Et quidem talis, quæ ad minimum iisdem gaudet perfectionibus, quæ in Idea repræsentantur; nullum autem finitum perfectiones infinitas possidet. Necessario itaque aliquid infinite perfectum, quod hujus Ideæ causa sit, dari fatendum est.

PHILAL. Insolubile sane argumentum! si humanæ menti obversetur infinitarum perfectionum, prout sunt in Ente infinite perfecto, Idea, quæ certe naturæ mentis e diametro adversatur. Sed quoniam indubium est, mentem hujus Ideæ subjectum esse, quidni & ejusdem causa esse posset?

PHILOC. Id temere à te affirmari, faciam, ut patescat.

PHILAL. Gratum erit.

PHILOC. In mentem itaque revoca maximam illam, de qua statim loquebamur, causati à suis causis dependentiam, quæ nullam in Ideis perfectionem admittit, quin easdem in mente, si hæc causa sit, requirat.

PHILAL. Etiam tu memor sis, non simplicer percipiendi, sed & discurrendi facultate mentem præditam.

PHILOC. Hæc nihil ad rem. Eligas modo; vel mens perfectiones infinitas, quæ in Idea repræsentantur, in se continet, vel non est Ideæ causa.

PHILAL. Respondeo, quas positive mens percipit, ex suis perfectionibus, concurrente judicio & discursu, format.

PHILOC. Non satisfacit responsio; mens quippe non gaudet infinitis perfectionibus, quæ tamen in Idea repræsentantur.

PHILAL. Quod ad Infinitatem perfectionum, Mens illas non intelligit nisi negatione, i. e. perfectionibus, quas in rebus creatis invenit, tantum finem detrahit. Hoc vero cur excedat mentis vires, non video.

PHILOC. Sed quis concessit unquam, quod gratis hic supponis?

nis? nempe mentem nostram ad Exemplar nostrarum perfectio-  
num Summi Entis Ideam formare.

PHILAL. Id satis evincit experientia, ostendens perfectiones in  
Idea Dei repræsentatas nobis offerri ad similitudinem perfectionum  
in creaturis.

PHILOC. Sed nihil potest esse in imagine, seu Idea, qua tali, quod  
non sit in archetypo, seu exemplari.

PHILAL. Id certum est.

PHILOC. Fatere itaque perfectiones creaturarum limitatas non  
posse esse Exemplar perfectionis summæ, vel modum, quo mens  
has concipit, exhibe.


PHILAL. Modum hic exhibere nimis longum foret, jam abi-  
tum suadente tempore, Trata, & pia via est, *Causalitatis, Emi-  
nentiae, & Negationis*, quam erudite exhibit in *disput. de fīt. innat.  
idear. myst. Cl. D. de VRIES*, cui in hunc usque diem triumphata-  
rum Idearum Innatarum stat illibata laus, & gloria. Quapropter  
his merito acquiescam.

PHILOC. Sed antequam discedas, vellem ostenderes normam  
illam, secundum quam mens, si Ideam Dei in sinu non gerat,  
summam perfectionem Deo tribuendam esse dijudicat.

PHILAL. Nulla certe alia est, quam quod *via causalitatis omni-  
modæ perfectionis infinitam causam Deum esse*, & per consequens  
in ipso, tanquam causa, easdem contineri sciat.

PHILOC. Sed hic desino. Vertam enim me quocunque, sem-  
per exitum invenis.

PHILAL. Discas itaque modestiam. Quantis non promissis ex-  
orsus es? Sed desinit in piscem mulier formosa superne. *Multo  
fane melius fuisset*, (ut cum PARCERO in eodem fecerit negotio  
hunc Dialogum absolvam) *nugas esse, qua sunt, profiteri, quam ut sis  
tam argute defendendis, ipsa disputandi tenacitate, tibi ipse naufragaret*.



Annexa

## Annexa ex omni parte Philosophiæ.

